



PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Admonemur Paſtoralis officij noſtri debito diligentius proſpicere, ne Religioſis, qui regularem vitam profeſſi ſeculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata ſuffragia ambitioſus pateat acceſſus. Quocirca Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dilectis filijs Priori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis Sancti Auguſtini Fratrum Eremitarum Prælatis nunc, & pro tempore exiſtentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcunq; perſonarum tam Laicarum, quàm Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinala us honore, & quacunq; ſæculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuius dicti Ordinis Religioſo, vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, ſeu gradus, honores, dignitates, officia, & adminiſtrationes, functiones, & Prælatura s eiuſdem Ordinis concedere audeant; quinimo dicti Ordinis Fratres, & Religioſos, qui contra decreta hac via, & his medijs per conquiſitos fauores, & ſuffragia aliquid ſibi procurauerint ad talia, & ſimilia, ac etiam maiora in eodem Ordine conſequenda perpetuò inhabiles declaramus. Inſuper dictis Religioſis, & Fratribus eiuſdem Ordinis quibuſcunq; ſub eiſdem pœnis præcipimus, & expreſsè interdicimus, vt non ſolum in præmiſſis omnibus fauores huiuſmodi minimè procurare, ſed nec etiam ſpontè oblatos, aut ab eis minime procuratos recipere, & ſimiliter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis perſonis exhibere audeant, ſeu præſumant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictiq; Ordinis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cęteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Aut ſi eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diuiſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem, quod præſentium litterarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides vbiq; adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die iiij. Iulij M.DCVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

S. Cobellutius.

ROMAE, Ex Typographia Reuer. Cameræ Apoſtolicæ. 1612.

  

PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM. Admonemur Pastoralis officij nostri debito diligentius prospicere, ne Religiosis, qui regularem vitam professi seculo renunciarunt, ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosis pateat accessus. Quo circa Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dilectis filijs Priori Generali, ac Prouincialibus, & reliquis Ordinis Sancti Augustini Fratrum Eremitarum Prælatis nunc, & pro tempore existentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcunq; personarum etiam Laicarum, quam Ecclesiasticarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacunq; seculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuius dicti Ordinis Religioso, vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, & administrationes, functiones, & Prælaturas eiusdem Ordinis concedere audeant; quinimo dicti Ordinis Fratres, & Religiosos, qui contra decreta hac via, & his medijs per conquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint ad talia, & similia, ac etiam maiora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles declaramus. Insuper dictis Religiosis, & Fratribus eiusdem Ordinis quibuscunq; sub eisdem pœnis præcipimus, & expresse interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus fauores huiusmodi minime procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minime procuratos recipere, & similiter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictiq; Ordinis, statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Aut si eidem Ordini, & Fratribus prædictis communiter, aut diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbiq; adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris, die iiij. Iulij M. D C VIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

S. Cobellutius.

R O M Æ, Ex Typographia Reuer. Cameræ Apostolicæ. 1612.